



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Manvale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitivm  
Spiritvale Christianae Pietatis**

**Véron, François**

**Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]**

13. Aspirationes ad misericordiam Dei impetrandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](#)

Deus, per gratiam Spiritus sancti, compunctionem, fontemque lachrymarum, ut possim reatum conscientiae meae perfecte cognoscere, & delicta facinorum meorum plenarie confiteri, & deuotè commissa accusare, & de commissis omnibus dignam poenitentiam agere, & de his, tua præstante misericordia, Christique Iesu, filij tui dilectissimi passione, & morte, perfectam consequi remissionem, & veniam. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

---

### PARS XIII.

*Per breues Aspirationes, & conceptus animi per modum meditationis cuiusdam, ad impetrandam Dei misericordiam, veniamq[ue] peccatorum exoranda, usurpanda, ex dictis B. Augustini.*

**M**iserere mei Domine, miserere mei, & adiuua me sicut tu nosti quod mihi necesse est in corpore & anima. Scis omnia, potes omnia, qui viuis in secula.

• Respice me, Domine, opus manuum tuarum in te sperantem, & in tua soliummodo misericordia confidentem: recordate crea-

turæ

turæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti.

Domine, da mihi consolationem tuā  
cælestem, & noli spernere peccatricem ani-  
mam meam, pro qua mortuus es, &c.

Ego sum miser ille obæratus decem  
millibus talentorum, non sum soluendo,  
nisi misericordia tua adiuuerit me.

Noli, quæso, piissime Domine, scribe-  
re aduersum me amaritudines meas, vt in-  
tres in iudicium cum seruo tuo, sed secun-  
dum multitudinem miserationum tuarū  
dele iniqtitudinem meam.

Placare obsecro, & miserere mei, & no  
auertas faciem tuam à me, qui pro me redi-  
mendo non auertisti faciem tuam ab in-  
crepanribus, & conspuentibus in te.

Quis vñquam, bone Iesu, de tua mis-  
ericordia diffidat, qui cùm tui inimici esse-  
mus, redemisti nos in sanguine tuo, & re-  
conciliasti nos Deo? Ecce sub tuæ miseri-  
cordiæ vmbra protectus, ad thronum glo-  
riæ veniam postulans cutro, clamās & pul-  
sans, donec miserearis mei.

O clementissime Pater, & Domine, li-  
cet peccator sim, non possum non esse fi-  
lius tuus, quia tu me fecisti, & refecisti: & si  
ego admisi, vnde me damnare potes, tu nō  
amisisti, vnde saluare soles; noli ergo Do-  
mine sic attendere malum meum, vt obli-  
uiscaris bonum tuum.

Ne

150 MANVALE

Ne memineris iustitiae tuæ, Domine  
erga peccatorem tuum, sed memor esto be-  
nignitatis tuæ erga creaturam tuam : ne  
memineris iræ aduersus reum, sed memor  
esto miserationis tuæ erga miserum: obli-  
uiscere superbum prouocantem, & respice  
miserum inuocantem.

Obsecro, & suppliciter rogo, omnipre-  
tens, & misericors Domine, ne facias mihi  
secundum peccata mea, quibus iram tuam  
merui, sed secundum magnam misericor-  
diam tuam, quæ superat etiam peccata to-  
tius mundi.

Ecce cor meum coram te est, Domi-  
ne, discute tenebras eius, ut amoris tui cla-  
ritate pleniùs perfundatur. Compleat tua  
potentissima diuinitas, quod conatur mea  
tepidissima imbecillitas. Sanctifica me vas-  
tuum, quod fecisti, de malitia euacula, & im-  
ple de gratia, & plenum conserua, ut dignū  
habitationis tuæ efficiar templum hic, &  
in perpetuum, Amen.

*Obserua, quod haæ aspirationes animi  
percurri leuiter non debeant, sed fieri per  
modum cuiusdam meditationis.*

CAPVT